









INSCRIPTIONES

ANTIQUAE.


INSCRIPTIONES
ANTIQUAE.

INSCRIPTIONES

ANTIQUAE

A COMITE CAROLO VIDUA

IN TURCICO ITINERE COLLECTAE.





LUTETIÆ PARISIORUM

EXCUDEBANT AUG. FR. ET PR. DONDEY-DUPRÉ BIBLIOPOLAE,

Via vulgo dicta *St-Louis*, 46,

NECNON VIA DICTA RICHELIEU, 47 *bis*.

M DCCC XXVI.



EX TYPIS DONDEY-DUPRÉ.

PRAEFATIO.

Quum peregrinationis causa Italia discessi, de turcico itinere nihil erat in animo. Quippe Lutetiam et Londinum accedens, hinc ad septentrionem me contuli, atque Daniam, Sueciam, Laponiam, Moscoviam perlustravi. Peracto Boreali itinere, cupido maxima incessit Sarmatiae late patentes campos, quos Tanais et Borysthenes alluunt, tum Ponti Euxini atque Paludis Maeotidis oras invisere. Ita ad Turcicam peregrinationem subinde capessendam inductus fui, quam ad usque ultimos imperii fines in AEthiopiam extendi. Id autem mihi propositum erat potissimum gentium mores et instituta pervestigare, veterum simul aedificiorum praeclaras reliquias spectare; nihil vero de litteratorum lapidum notitia ad me pertinere arbitrabar, jam pene cunctos exscriptos reputans, vel si qui superessent, nonnisi ab homine graeci sermonis, atque antiquitatis eruditissimo colligi posse. Aliter tamen se res habuit. Cum enim crebro occurrerent inscriptiones a nullis, ut ferebatur, vel a paucis admodum visae, quasdam referre in pugillaribus coepi. Crevit exinde paulatim eas conquirendi studium, atque in eam sententiam veni, peregrinantis in barbara terra officium esse priscas memorias, quae in dies teruntur, atque

destruuntur, ab oblivione quam maxime vindicare. Nam sicut omnino deperdita sunt plurima a Sponio, Chandlero, aliisque prodita monumenta, non dissimili ratione conjicere licet, marmora a me descripta fore ut posteri necquicquam perquirant.

Haec praemonere oportebat, ne vitio mihi verteretur in graecis litteris atque antiquitatibus haud versato, vetustarum inscriptionum volumen emittere. Nimirum non est hoc eruditi hominis, sed peregrinantis opus. Sane fateor, diu ancipitem haesisse, an eas in lucem proferrem, necne; et jam de illis edendis consilium ferme abjeceram, quum Cl. Letronnii (1) AEgyptiacas Disquisitiones pervolvens, locus ille succurrit, ubi graviter conqueritur incuriam peregrinatorum, qui monumenta ex itinere allata recondentes, subsidio eruditos frustrantur, atque priscarum rerum notitiae quodammodo officiunt. Haec verba ita me commoverunt, ut omni dubitatione rejecta, mea tandem vulgare statuerim.

Nunc operis rationem paucis expediam.

Inscriptiones sigillatim digessi per varias regiones eo ipso ordine, quo peragravi, nempe anno MDCCCXIX, Sarmatiam, Bithyniam, Troadem, Pergamum; anno MDCCCXX AEgyptum,

(1) *Recherches pour servir à l'Histoire de l'Égypte pendant la domination des Grecs et des Romains, tirées des inscriptions grecques et latines, etc.*, par M. Letronne. Paris, 1823, *Introduct.*, pag. xxxij.

Nubiam, Syriam, ac Cypri partem; reliquas demum anno MDCCCXXI.

Paucas admodum Athenarum profero, nullas Ephesi, nam quo celebrior, et peregrinatoribus frequentior erat locus, eo magis labori parcebam.

Verum ex congestis inscriptionibus magnam partem seposui, videlicet: in primis quae ad medium aevum pertinent; deinde (nonnullis et Cypro exceptis) omnes alienos apographos, quorum haud exiguam copiam ex itinere comparaveram, fragmenta insuper nimis corrupta, mutila, subobscura; postremo quae jam prodierunt. Non me latet, perdifficile esse pro certo scire quid in hoc genere editum sit, quid non; nimia enim librorum farrago expendenda esset. Verumtamen praecipuas syllogas, veluti Gruteri, Reinesii, Sponii, Pocockii, Chandleri, Chishullii, Muratorii, necnon quamplurimos peregrinationum libros pertinaci ac fastidioso labore pervolvi, ne antehac vulgatas pro ineditis jactarem. Nonnullas vero minime ignotas rursus exhibui, quum exemplar meum visum est emendatius, aut integrius, aut dissimile quid proferens.

Graecas inscriptiones judicio subjeci docti inter Italos viri, qui ex variis lectionibus optimas quasque elegit, difficiles locos emendavit, interdum etiam supplevit. Verum aliquando ab emendatione ipsa recedere sum coactus, cum mendosum esse archetypum ipsum reor, quod praesertim in Nubiensibus occurrit. Nam archetypa magno studio consului, quantum loci conditio, temporis spatium, ac gentis feritas sinebant; si quid

esset ambigui et mutili animadvertere curavi, atque deformata potius, quam ad arbitrium castigata exempla emittere praetuli. Itaque litteras dubias minusculo charactere persaepe expressi; suppletas semper inter parentheses conclusi.

Omnibus autem titulis accurata loci descriptio praefigitur, ut si aliquis deinceps peregrinator recognoscere velit, dummodo supersint, cite et facile possit. Hodiernis item oppidorum nominibus vetera adjunxi. Litterarum insuper ac lapidum formam, ornamenta, mensuras ad pedis anglici, aut metri gallici normam diligenter indicavi. Cum vero mentio fieret de locis, et antiquitatum vestigiis parum cognitis, vel omnino delitescentibus, earum notitiam aliquam tradere ab instituto non absonum, ac lectori non ingratum futurum existimavi. Quod de Syriacis praecipue dictum volo. Nonnullas etiam adjeci chronologicas, atque geographicas adnotationes; raro tamen et parce, quum nihil antiquius habuerim, quam eruditi partes omnino detrectare; eruditis vero illustrandi, emendandi, supplendi, enucleandi materiam suppeditare.

Augustae Taurinorum, Kal. Febr. MDCCCXXIV.

INSCRIPTIONES ANTIQUAE

IN TURCICO ITINERE EXCERPTAE.

SARMATIAE INSCRIPTIONES.

(TAB. I, 1.)

IN musaeo novae urbis Nicolaev, quae non longe ab antiquae Olbiae ruderibus, et ab ostiis fluminis Bog, olim Hypanis, distat, haec fragmenta visuntur.

(I, 2.)

Ibidem.

Nonnulla graeca marmora in Tauride a me exscripta, et ad Bosphorum Cimmerium non edam, quum ea jam protulerit Cl. Raoul-Rochette, in opere cui titulus : *Antiquités du Bosphore Cimmérien*. Monebo tantum inscriptionem a novo Chersoneso allatam, quae nunc servatur in pago Sabli prope Bakceserai, cujus initium est : ΑΥΤΟΚΡΑΤωΡΚΕCΑΡΖΗΝωΝ, etc., minus recte a Pallas (*Atlas du Nouveau voyage dans les gouvernemens méridionaux de l'empire de Russie*), et a Waxel (*Recueil de quelques antiquités trouvées sur le bord de la*

INSCRIPTIONES

ANTIQUAE.

inscriptionem; ac subjectas graecas litteras penitus delevit, quod et in exemplo delineare curavi. Nihilominus doctus vir, graeca cum latinis comparans, integram inscriptionem feliciter restituit.

Nero consul fuit III, anno Christi LVIII, et COS IV, anno LX. Eo igitur temporis spatio hoc opus factum videtur, scilicet anno LVIII, vel LIX.

Sponius in *Miscellaneis eruditae antiquitatis* (p. 267) inscriptionem refert in pago Luc. foro Juliensis repertam, in qua Neronis tituli cum hac epigraphe consentiunt, excepto quod hic appellatur IMP. V̄, et apud Sponium *Imperator iterum*.

Obelisci prope Nicaeam titulum rectius quam Pocockius edidit Hammerus in *Itinere Bithyniaco*.

(V.)

Nicomediae in via dicta *Ciarsi Mahalesi*, in interiori porticu exiguae domus cujusdam Turcae, cui nomen *Jerdelenin Evi*, ara venusta, cujus trunci latitudo, et crassitudo pedum duorum cum duobus pollicibus.

Tres postremi versus humo tegebantur; nec parum aeris ac patientiae impendi, ut delegere paterentur Turcae, quibus alta mente infixum haerebat, non ad titulum legendum, sed ad thesaurum effodiendum me operam conferre.

Alius insuper in fine sculptus fuerat versus, tamen antiquitus diligenter, atque leviter abrasus.

(VI, 1.)

Nicomediae, nunc *Ismit*, vel *Isnigmid*, quasi εἰς Νικομηδείαν, in urbis parte, quae in planitiem porrigitur, orientem versus, prope Turcarum templum surgit in medio viae semirutum *Turbeh*, seu mahumetanum sepulcrale monumentum. Juxta illud inveni fractum lapidem vetustate corrosum, robigine exesum, lectu difficilem; ac propterea adhuc erroribus deformem profero, quamvis semel atque iterum emendaverim.

(VI, 2.)

Nicomediae ad summum urbis in loco dicto *Bakcesmesi*, quod latine ad vineae fontem, in angulo privatae domus, prope compitum cippus in solo inversus pulcris litteris.

(VI, 3.)

Nicomediae in superiore urbis regione *Jucari Bazar*, ad *Bassà Hamam*, quod est praefecti balneum, prope tabernam, vulgo *café*, olim sepulcralis arca, nunc fonti scaturienti subjecta. Ejus frons alta pedes duos, longa pedes sex cum quadrante, sed inscriptio tertiam longitudinis partem tantum occupat.

(VI, 4.)

Ibidem, sub platano prope eundem fontem

(VII.)

Super colles Boream versus, in quadam vinea, tertia horae parte ab urbe, unde in Nicomediensem sinum amoenus prospectus, stylobatem inveni jam pridem effossum in altera vinea huic ad orientem proxima. Multa ibi antiqua fundamenta reperiuntur fortasse moenium, quae acropolim vallabant.

Stylobatis truncus latus pollices viginti unum, altus triginta sex. Cymatii altitudo decem pollicum, et basis tantumdem. Inscriptionis decem et octo versus sculpti sunt in trunco, quatuor in quadam parte basis, postremus in plintho. Plerique versus acephali. Vicesimus autem minoribus litteris interpolatus.

(VIII, 1.)

Extra Nicomediam, in via quae coemeterio Armenorum adstat, Boream versus lapis infixus in parvo muro, cujus longitudo tribus pedibus, altitudo vero dodrante. Clarus Hammerus in *Itinere Bithyniaco* minus integram edidit.

(VIII, 2.)

In pago Sabangia, sex a Nicomedia horis, orientem versus, cippus in via prope *Menzil*, seu veredorum stabulum. Basis humo contecta.

(VIII, 3.)

Sabangiae in amplo stabulo diversorii, quod appella-

tur *Agà Kan*, fragmentum, cujus ornatus festinanter et inaccurate expressi.

(IX, 1.)

Ibidem ara solo infixa in quadam via.



TROADIS INSCRIPTIONES.

(IX, 2.)

In coemeterio pagi Halileli keui columnae scapus cum titulo, cujus quatuor priores versus exscripsit doctor Hunt. (V. *Memoirs relating to European and Asiatic Turkey, edited from Mss. Journals by Robert Walpole;* second edition. London, 1820, pag. 104.)

(IX, 3.)

In quadam via oppidi *Koun Kalé*, quod latine sonat arenosa arx, juxta januam domus Turcae *Jeanagiulo* pulcrum marmor exiguis litteris delicate sculptum, ac parvula corona ornatum, sed in fine versuum mutilum.

Edidit Philippus Barker Webb, Anglus, ad calcem observationum de Agro Trojano in opere Mediolani impresso, cui titulus *Biblioteca Italiana* (vol. XXIII, ad annum 1821). Alias etiam Troadis inscriptiones ibidem vulgatas rursus exhibeo, cum doctorum virorum judicio exemplar meum visum sit emendatius.

(X, 1.)

Ibidem in platea, quam vocant *Cifrimalé*, marmor

superne fractum, atque excavatum. V. Webb, loco citato.

(X, 2.)

Ibidem juxta ostium domus cujusdam Turcae, cui nomen *Tunisi Ali Bei.* Ubi secundus versus deficit, marmor sectum apparet. V. Webb.

(X, 3.)

In coemeterio pagi Koum keui tabula marmorea ampla, et pulcra, duobus tantum angulis inscripta (1).

(XI, 1.)

Prope pagum Chiblak in parvo colle, meridiem versus, inter rudera fortasse novi Ilii, marmor cubi formam habens, intus excavatum, exterius hunc titulum profert.

(XI, 2.)

Ibidem minus culta littera inscriptus lapis altus pollices sex, latus circiter viginti duo.

(XII, 1.)

In coemeterio pagi Jikli columna ex granito, for-

---

(1) Eadem suppletis, quae desunt, litteris.

	ΑΥΤΟΚΡΑ[ΤΟΡΑΤΙ]
[Τ]ΟΝΘΕΟΝ	ΤΟΝΚΑΙΣΑΡΑΘ[ΕΟΝ]
	ΘΕΟΥΟΥΕΣΠΑ[ΣΙΑ]
	ΝΟΥΥΙΟΝΣΕΒΑΣΤ[ΟΝ]

tasse milliaria, cum inscriptione, cujus finem terra obrutum detexi. Aliquid etiam supplevi. Intervallum in versu octavo litteris caret. Vide Webb.

(XII, 2.)

Eodem Jikli coemeterio fragmentum omni ex parte fractum. Superius vestigia quaedam praecedentis versus apparent. V. Vebb.

(XII, 3.)

In pago Bunarbasci, juxta quem Le Chevalier aliique clari scriptores vetus Ilium fuisse putant, tabulam marmoream inveni, cujus inscripta facies prona jacet, ideoque a paucis visa, etsi peregrinantium ad Priami urbem frequens sit accessus.

Latitudo ejusdem tabulae pedum duorum, altitudo pedum quinque cum pollicibus septem, crassitudo vero pollicum decem. Characteres antiqui attritu potius quam vetustate pene deleti, ita ut multo labore paucas litteras, ac postremos versus exscribere vix potuerim.

(XIII, 1.)

In vico Dalian Keui juxta ruinas Alexandriae Troadis, dum antiquis ruderibus excavandis, quibus nova construerunt in Hellesponto propugnacula, Turcae operam dabant (qua Abydi, Alexandriae Troadis, aliarumque vetustarum urbium ultimum paratur ex-

cidium), nonnulli sarcophagi eruti sunt, quorum alteri jam fracti, alteri alio advecti. Hunc titulum legi in operculo cujus arca in quodam proximo pago translata fuerat ad aquarii usum. Vide Webb.

(XIII, 2.)

Alexandriae Troadis in elegantissimo marmoreo stylobate, vel statuae basi inscriptio optime sculpta. Versus primus, ac duo postremi grandiores litteras habent. In octavi intervallo nihil deest.

PERGAMI AC TEI INSCRIPTIONES.

(XIV, 1.)

Pergami penes quendam Graecum Joannem a Chio exstat tabula marmorea, quae, dum restituerentur aedes, anno circiter MDCCCXVIII effossa fuit.

Litterae elegantes, tametsi dimidium anglici pollicis altitudine vix excedant. Earum forma carminis vetustatem indicat.

Tabulae latitudo est pollicum viginti novem cum dodrante, quorum septem excipiunt duae simae cum apophygis, quae hinc inde titulum concludunt. Ejus altitudo pollicum viginti octo a dextera, et triginta duo a sinistra parte, quod discrimen oritur ex eo, quod superius tabula sit oblique fracta, ideoque septem prioribus versibus initium desit.

In sexto versu spatii aliquid relictum, in quo nulla littera.

Versus octavus, et nonus ab uno ad alium marginem protenduntur; subsequentes vero inaequales sunt, et majus quandoque vel minus spatium relinquunt. Nam lapis ipse in utroque latere integer, sed supra et infra confractus.

Versus decimus et undecimus majori intervallo, quam ceteri, distant.

(XIV, 2.)

Apud Graecum Panajoti Bakirgi, in arula rotunda pulcri marmoris, cujus formam ac mensuras in delineatione servavi.

(XIV, 3.)

Ad inferiorem, ac recentiorem ambitum moenium arcis, in turris structura vetustus hic lapis insertus fuit, litteris valde attritis.

(XV, 1.)

In ejusdem arcis ascensu, transgresso inferiori moenium circuitu, porta occurrit in alterius muri ambitu; quem si ad dexteram sequeris, lapidem inscriptum reperies, olim in interiore parte muri sepultum, atque ejus demolitione nunc denuo e tenebris in lucem revocatum.

Quarto versu legendum ne sit ΕΥΝΕΙΚΟΣ, ac postremo ΛΕΥΚΩΝ non satis compertum.

(XV, 2.)

Apud Graecum optimatem, transito impluvio, in ipso limine interioris aedium partis, paucis et magnis litteris non optime sculptis. In fine prioris versus deest I. Nihil in lapide ulterius habebatur.

(XV, 3.)

In interno pariete juxta impluvium domus cujusdam Graeci, extra Graecorum vicum, inscriptio in parvo stylobate, cujus formam raptim delineavi.

(XVI, 1.)

In urbis regione, quam vocant *Abagi Mahalé*, penes quendam Turcam parvus stylobates. In inferiore parte trunci sculpta est inscriptio, in superiore anaglyphon per medium confractum.

(XVI, 2.)

In impluvio thermarum, quibus nomen *Ciup Hamam*, seu amphorae balneum, ara cymatio decorata cum latina inscriptione rudi charactere incisa. Plures litteras prorsus incertas omisi. Subjectam coronam, subscriptumque SACRVM inferne circumcingunt serta a taurinis capitibus pendentia.

Aliter retulit Thomas Smith in *Septem Asiae ecclesiarum Notitia*, et ex eo Muratorius in *Nov. Thes. Inscript.*, pag. DCLXIX, n. 4.

(XVI, 3.)

Inter rudera Tei, hodie Bodrun, praegrande fragmentum valde mutilum. Hoc loco posui, quod Ionia contermina erat Pergami.

AEGYPTI INSCRIPTIONES.

Graecae in Aegyptiacis monumentis inscriptiones non paucae sunt, sed eas omnino neglexeram, ratus jam cunctas exscriptas fuisse a doctis Gallis, vel si aliqua effugisset, ab eruditissimo anglo Hamiltono, qui statim post Gallorum expeditionem Aegyptum perlustravit.

Quum autem ejusdem *Aegyptiaca* in eo ipso itinere ad manum haberem, itemque Denonii pictoris egregii descriptionem; cumque titulos diverse ab illis exscriptos, Hamiltonumque subinde haesisse viderem, operae pretium existimavi eorum lectiones cum monumentis ipsis comparare. Duas tantum inscriptiones ita contuli, et quamvis jam pluries vulgatas, exemplar meum hac industria quaesitum ceteris fidelitate praestare arbitror.

(XVII.)

Antinoensis titulus Alexandro Severo inscriptus legitur in stylobate, cui olim columna superposita erat, nunc in quodam urbis quadrivio collapsa jacens. Exscripsit ac supplevit Cl. Jomardus; exscripsit etiam laudatus Hamiltonus; dein ex eorum comparatione Cl. Letronnius (*Recherches pour servir à l'histoire d'Égypte. Paris,* 1803, pag. 280, etc.), aliter supplevit.

Ex ipso stylobate epigraphen accurate descripsi anno MDCCCXII, ibique cum Hamiltono contuli. Quasdam litteras post undeviginti annorum lapsum deletas novi, quasdam diverse legi, quasdam adjeci. Animadvertendum est exemplar meum confirmare nonnullas Cl. Letronnius conjecturas, et ejus præsertim noni versus peringeniosam divinationem.

Aetas autem potissimum incerta, quia numerorum notae varie proferuntur; nam

Cl. Jomardus exscripsit LIA·IIT

Hamilton vero LIΔIIT

Quum post anni notam investigandum esset mensis nomen, et duo illi tractus speciem prae se ferrent litterae Π, cui T succedit, Cl. Letronnius supplendum censuit ΕΠΙΦΙ, eo quod nulli ex aliis Aegyptiorum mensium nominibus haec notarum species aptari melius queat. Cum vero mensis Aegyptiacus Epiphi respondeat mensibus Romanis Junio, ac Julio; fuerit autem Alexander Severus a militibus interfectus mense februario ejus imperii anno decimo quarto (Aegyptiorum more computato), Cl. Letronnius non immerito arguit legendum potius IA, scilicet anno undecimo. Nunc vide quantum a vero deducat vel minima in antiquis exscribendis lapidibus immutatio. En genuina lectio : LIΔ// · T· · · · Duo illi tractus exstant, sed inclinati, nec sunt litterae, sed, ut puto, signum quoddam discriminis, quod et in nonnullis Nubiensibus inscriptionibus videtur. Subsequitur T, cui qua-

tuor, vel quinque succedebant litterae nunc penitus corrosae. Cum autem in nullo Aegyptiaci mensis nomine occurrat littera T, nisi in mense TYBI, censendum est in illo spatio corrupto sculptas fuisse litteras YBI, ac diei numerum. Mensis TYBI respondet Romanorum Decembri, atque Januario : hac ratione servari potest annus IΔ, seu decimus quartus in quo Hamiltonus, et schedae meae ad amussim consentiunt; ac demum aperte colligitur hujus columnae dedicationem factam fuisse post bellum persicum, sed ante Alexandri Severi obitum.

(XVIII, 1)

In Apollonopoli parva, hodie Cus, exstat propylaeum cum vulgatissima inscriptione, quam Paulus Lucas, Pocockius, Denonius, Jomardus, Jollois cum Devilliers, atque Hamiltonius exscripserunt; Bouhierus, Hagenbuch, Zoega, Parquoi (apud Denonium) frustra supplere et interpretari sunt conati; ac demum Cl. Letronnius (*Recherches*, etc., pag. 95 et seq.), exquisita doctrina illustravit. Ego vero Denonii, atque Hamiltoni exempla cum monumento ipso contuli, ejusdemque Hamiltoni, atque Parquoi supplementa cum fractarum litterarum vestigiis diligenter comparavi; quapropter emendatiorem, vel si ausim dicere, emendatissimam praebere confido.

Versus primus habet ΜΕΓΑΛΟΙ ab Hamiltono neglectum.

Secundae lineae initio, ubi de Cleopatrae, ac Ptolemaei appellatione disceptatur, hosce characteres inter lapidis fracturas dispicere potui I°ΕΣ. Circulare exiguum signum vertici potius quam basi litterarum proximum, litterae P partem esse autumo. Legendum itaque videtur ΙΡΕΣ, vel ΗΡΕΣ, quae finales litterae accommodari nequeunt nec a Parquoi suffectis ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΕΣ (quibus spatium etiam deficit), nec epitheto ΕΥΣΕΒΕΥΣ ab Hamiltono suggesto, sed aptissime quadrant agnomini ΣΩΤΗΡΕΣ a Letronnio conjecto, et (quod magni momenti est) firmissimis argumentis ex historia depromptis comprobato.

Alteri, nec minus ancipiti loco restituendo majorem quoque operam adhibui. Cum litterarum vertex adhuc paululum appareat, earum rimas, ac vestigia octies, vel decies repetito labore delineavi, variaque schemata conferens, nec unum invenio quod ΗΛΙΟΙ conveniat; omnia autem plus minus ΑΡΟΗΡΕΙ lectionem aperte confirmant.

Ita ergo legendum existimo.

NUBIENSES INSCRIPTIONES.

Sequentes titulos inter primam et secundam Nili cataractam exscripsi in ea Nubiae, olim Aethiopiae parte, quae paucis abhinc annis Europaeorum investigationibus patuit, ubi tot conspicua vel exstructa, vel excavata antiqua monumenta perdurant.

Ad Gartas, apud nonnullos peregrinatores Khardassy, antiquis vero Gomos, magna lapidicina conspicitur non longe a sinistra Nili ripa. Permultae ibi inscriptiones in excisa rupe visuntur, quarum pleraeque etiam rubro colore delineatae.

(XVIII, 2.)

Sub hermete, qui insculptus est ad dextrum latus sacrae aediculae, vel potius loculamenti, sequens legitur titulus, jam pridem editus ab Anglo Light.

(XIX, 1.)

Ad Dakke olim *Pselcidem,* in propylaeo templi, Mercurio consecrati.

In secundo versu ante litteram E forte legebatur V ; sequenti intervallo duae litterae desunt.

Secundi, et tertii versus finis erasus fuisse videtur.

Quarti versus initio fortasse NON. M. FEBR. Parvum succedit interstitium, in quo prorsus nulla littera.

Ejusdem quarti versus octo postremae litterae non satis certae.

Legionem secundam a Trajano constitutam fuisse in Aegypto ex Dione (lib. 55) accepimus.

Apud Gruterum pag. DXIII, 2, legitur II. TRAI in columella Romanarum legionum nomina exhibente.

Apud eundem pag. CCCCXLV, 9, LEG. II. TR. FOR.

Pag. CCCCLIV, 8, LEG. II. TRAIAN. FORT.

In notitia dignitatum utriusque Imperii, « Sub dis» positione viri spectabilis comitis rei militaris per « Aegyptum, » recensita est legio secunda Trajana Parembole, qui nunc Debud in Nubia.

Colasucia parvus est locus juxta Jarras medius inter mira Abusimbil, vel Ebsambul, subterranea templa, et secundam Nili Cataractam. Ibi in occidentali fluminis ripa christianum oppidum, et fortasse amplum monasterium extitisse videtur; cujus adhuc remanent aedificiorum ruinae, ac pars ambitus moenium ex crudis laterculis exstructarum. Epitaphia etiam non pauca supersunt, sed vetustate exesa. Horum duo integriora selegi, atque mecum in Italiam attuli. Quae monachorum elogia continent, et si eruditorum studio digna non videantur, saltem ostendunt christianae religionis in illa Aethiopiae parte jam diu deletae monumenta etiam num perdurare.

Haec epitaphia accurate exscripsi, sed erroribus scatent. Nec mirum habebis, si aetatem spectes, ac praecipue locum ultra ultimos Imperii fines positum, ac tanto spatio a Graecia, et a Graecis urbibus dissitum.

Utraque ab aera Martyrum annos computant.

(XIX, 2.)

Primus brevior lapis lectu facilis latus est viginti octo centimetros, altus triginta septem.

In quinto versu legendum ne sit H vel N prorsus ambiguum.

(XX, 1.)

Secunda longior inscriptio exiguis, rudibus, ac male conformatis litteris obscuriores aetatem, scriptorem, et lapicidam accusat.

Tabulae altitudo quadraginta centimetrorum, latitudo viginti trium.

Initiales duodecimi versus litterae ΤΑΔΟΑ non satis distinctae.

Decimo quinto versu legendum ne sit ΚΟΥCΓ, vel ΚΟΥΚΤ incertum.

In penultimo versu numeri notae litterae O speciem prae se ferre videtur; tamen affirmare non ausim, cum inferius quidam incurvus sulcus appareat hac forma Q, quem diligentissime pervestigando sit ne scalptoris opus, vel lapidis mendum, omnino incertus haesi.

Postremo autem versu anni nota, quamvis insolita forma, ita ad amussim in archetypo.

SYRIAE INSCRIPTIONES.

In ea Palaestinae, vel Decapolis parte, quae trans Jordanem obtenditur ad orientem Samariae, prope pagos Azgelun et Suf, locus est desertus, ubi antiquae magnificentiae mira supersunt monumenta, templa, arcus, thermae, propylaea, theatra, circus, columnae adhuc integrae plus centum octoginta, atque insuper viae, plateae, pontes, moenia, sepulcra, infinita propemodum rudera vetustae urbis, quae fuisse videtur Gerasa, cum et adhuc Arabi antiquum fere nomen retinentes locum illum appellent *Jeràs*.

Hanc Decapolis urbem primus detexit anno 1806, illustris et infelix Germanus peregrinator Seetzenius, cujus brevis tantum narratio in lucem prodiit.

Tria fragmenta, et unam inscriptionem referam. Fragmenta grandi et pulcra littera sculpta jacent inter ingentes ruinas propylaei, unde ascensus ad templum in sublimiore urbis loco positum. Proxime et aliud vidisse memini sed neglexisse, eo quod cum paucissimis ac diversae formae constaret litteris, ad eandem inscriptionem nihil pertinere putavi. Fortasse octo litterae sunt, quas Burckhardtus in *Itinere Syriaco* vulgavit (pag. 260).

(XX, 2.)

Fragmentum primum superius inscriptum, inferius vacuum. Postremus versus majoribus litteris sculptus.

(XX, 3.)

Aliud fragmentum in secundo versu habet AΛP, vel AΔP. Ultima littera tertii versus mutila, fortasse P.

(XXI, 1.)

Praecedentes titulos edidit Burckhardtus (loco citato), aliqua lectionis varietate; sequentes non retulit.

Eodem propylaeo fragmentum tertium superius fractum, inferius aliquid spatii reliqui sine litteris habet.

Postremus I dubius, fortasse T.

(XXI, 2.)

In alia urbis parte ad orientem torrentis posita prope ruinas, quas a loco, a forma, a rivulo aquam ibi e fonte olim ducente thermas fuisse conjicio, rotundum stylobatem vel statuae basim inveni, cujus sextum versum terra obrutum detexi, at festinanter, et minus recte legi. Forsan et alii supererant versus, quos detegere non licuit.

C. Allius Fuscianus, cui titulus inscriptus, consulatum secundo gessit anno CLXXXVIII imperante Commodo, quod ideo notandum mihi videtur, cum architecturae genus, et ratio Antoninorum aetatem asseveret.

Vide Gruterum CXXVI; item DXIX, 9, quam spuriam suspicor; et MLXXVII, ubi C. Aelius appellatur.

(XXII, 1, 2.)

Hatne pagus est Syriae undecim circiter horarum itinere a Damasco, et extrema habitatio in limine solitudinis, qua Palmyram petitur. Amplum ibi exsurgit diversorium (turcice khan) forma quadrata constructum, in cujus fronte arabicus legitur titulus quem interpres meus sic transtulit : « Non est alius Deus, » nisi solus Deus; Mahumetes autem nuncius Dei. » Hoc (aedificium) exstruxit pauperum gratia Suleimannus (qui et Salomon) Faragiallae filius. Qui requiem ei a Domino precabitur, pie egerit. »

Extra diversorium orientem versus parvus est murus cum janua. Duae ibi exstant inscriptiones nulli hactenus nostratum visae, ambae in muro inversae; quarum prior supra januam, posterior vero in ipsa janua, nempe in crassitudine muri posita. Ex illis discimus, cohortem septimam, et Romana castra eo loco stetisse. Cum autem magna et quadrata saxa quam-

plurima in diversorii constructione adhibita sint, verisimile est ex ipsis castrorum ruinis eruta fuisse.

Ex itineris mei cum tabula Peutingeriana comparatione apparet, stationem *Adamara* sitam fuisse ad amussim, ubi nunc Hatne.

Secunda Hatnensis inscriptio parva basi, ac cymatio ornata, valde attrita, atque lectu difficilis. De Consulatus numero non liquido constat.

(XXIII, 1.)

In solitudine Palmyrena, Damasco Palmyram versus, ad laevam, ac tribus tantum horis antequam ingentes appareant urbis ruinae, duo exstant stylobatae ejusdem magnitudinis et formae, altitudinis vero circiter ad duos metros.

Idem in utrisque titulus inscriptus.

Versus primus litteris grandioribus incisus est in superiore parte trunci. In medio aliquid sculptum jaculorum fasciculo simile subsunt duo postremi versus.

Hanc inscriptionem prorsus incognitam autumo; cum enim posita sit in ea desertorum parte, quae Arabum vagantium, seu, ut vocant, *Beduinorum* aggressionibus magis est objecta; ac propterea mos sit nocturno itinere illuc pertransire, eam censeo causam fuisse, cur praecedentium peregrinatorum investigationes effugerit.

(XXIII, 2.)

In agro Damasceno, sex circiter horarum itinere ab urbe, orientem versus, parum ad Boream vergens exstat *Dmeir*, quem in antiqui oppidi locum procul dubio situm esse indicant templum in medio pago, et circa pagum sarcophagi. Verisimile est, ibi positam fuisse stationem *ad medera*, quam Tabula Peutingeriana viginti quinque milliariis a Damasco statuit. Cum autem nullus, quem sciam, ejus meminerit peregrinator, non solum in vico, verum et in viciniis antiqua rudera, ac monumenta diligenter conquisivi; veteres item titulos inveni, quorum exempla subjiciam.

Prior in templo, quod ferme integrum adhuc subsistit, ad orientalem frontem legitur, atque hoc habet notatione dignum, quod imperatorum cognomina tanto studio erasa fuerint, ut nullum prorsus abrasarum litterarum vestigium perspici queat. Praenomina aute ma cnomina supersunt, et simul juncta **ΜΑΡΚΩΝ ΙΟΥΛΙΩΝ** nulli Romanorum Imperatorum conveniunt, nisi patri et filio Philippis; quapropter supplendum censeo : **ΦΙΛΙΠΠΩΝ CΕΒΑCΤΩΝ**. Huic aetati apprime congruit aedificii forma, et architecturae genus, cum et pilis in columnarum locum, et ordine composito usus sit architectus; plura denique tum in proportionibus, tum in coronarum et arcuum ornamentis aedificatoriae artis corruptionem satis superque ostendant.

In fine septimi versus post deletum litteram succedere videntur CX, sed eae quoque dubiae.

In priore octavi versus intervallo duae litterae desunt, in posteriore unica tantum.

Quatuor versus ΕΚΤΩΝ, etc., sculpti sunt in alio lapide, qui praecedenti substat.

(XXIII, 3.)

In pago Dmeir, ad quandam januam.

(XXIV, 1.)

Ibidem in supercilio ostii privatae domus.

(XXIV, 2.)

Ibidem alia inscriptio in externo privatae domus pariete, quam forma quadrata litterarum, sculptura rudis, et color lapidis intercurrentibus venis variegatus lectu difficillimam reddunt.

Extra *Dmeir* horae dodrantis itinere Romanorum castrorum reliquias detexi. Quae cum sint, ut supra memoratae ad Hatne, in limine incultarum desertarumque regionum positae, manifeste apparet, fuisse ex illa munimentorum, ac praesidiorum, ut ita dicam, serie, qua Romani limites imperii vallarunt ad provincias finitimas tutandas, et coercendas barbarorum incursiones.

Castra ipsa quadrata forma ducentos sexaginta gressus patent, et quatuor portas habent. Unumquodque latus sex turribus munitum. Moenia quadrato lapide exstructa castrorum ambitum undique cingunt. Exterius sarcophagi, intus autem vestigia supersunt viarum, ac permulta rudera, ex quibus duo aedificia, eminent. Elegantius corona, loculis, mutulis exornatum ad meridionalem portam adsurgit, sed epigraphi caret. Alterum orientali portæ proximum forma oblonga tribus arcubus ex utroque latere constat. Nonnullas ibi inscriptiones vidi, quarum unam excelso loco sitam dispicere non potui, aliam graecam transcripsi; sed ita mutilam, ut luce digna non sit. Duas latinas hic referam.

(XXV.)

Prima jacet inter lapidum congeriem non longe ab elevatiori muro. Egregie fuit incisa, ac ruber color adhuc in cavo litterarum apparet. Earum altitudo quinque centimetros excedit. Sunt autem oblongae, ac nimis presse sculptae, fortasse eo quod tabula lata sit tantum quinquaginta tres centimetros. Ejus crassitudo septuaginta quinque centimetrorum; altitudo unius metri cum sexaginta centimetris, quorum quinquaginta inferiores absque litteris.

Ipsa autem tabula paululum est in anglo comminuta, ideoque forte aliquid deest numero annorum tribuniciae potestatis, ac subsequentibus versibus. Lu-

cius Verus consulatum tertio gessit anno CLXVII, Gruterus (CCLVIII, 2) titulum refert in quo L. Veri notatur annus TRIB. POT. III. COS. II.

Postremi versus robigine exesi ac deformati.

(XXVI.)

Alter inscriptus lapis in ipsa parietis constructione infixus fuit transversim erectus, ita ut versus ipsi ad perpendiculum stent; ex quo patet aedificium exstructum, vel restauratum fuisse post aetatem imperatorum P. Licinii Valeriani, ac filii ejus Gallieni, quorum ibi fit mentio.

Litterae latinae sunt, intersertis quandoque Graecis imperitia lapicidae, vel fortasse militis, qui incondite sculpsit. Earum formam rudem, inaequalem, ac menda ipsa fideliter effingere sum conatus, quantum per lapidis altius positi distantiam, ejusque transversam collocationem licuit.

(XXVII, 1.)

Ab iisdem castris iter est horae trientis ad alia rudera itidem in limine desertorum posita, queis videre est sarcophagos, murorum reliquias, et insuper turrim quadrato saxo aedificatam, ac diversis aetatibus instauratam. Locus munitus procul dubio fuit, sed quale non constat. Unus enim omnino supererat titulus in medio omnino deletus, ceteroquin adeo ro-

bigine corrosus, ut vix ac ne vix quidem paucas, easque incertas litteras discernere potuerim.

(XXVII, 2.)

In valle, qua flumen Barradi, olim Chrysorrhoas, ab Antilibano in Damascenum agrum defluit, ad ripam occidentalem, quinque vel sex a Damasco horis paulo ante pagum Der el Kanun, haec inscriptio cernitur in saxo, in quo tres etiam cryptae, vel sepulcra excavata sunt.

Secundi versus initialis littera incerta.

(XXVIII, 1.)

In eadem regione ad Boream pergenti ultra Der el Kanun antiqua rudera occurrunt, exinde pagus Suk Barradi, quo praetergresso restringitur vallis, ac montes imminent flumini, ita ut viae aditus aegre pateat. Cum in ipso fluminis alveo iter facias, si ad orientalem ripam oculos attollas, videre est rupem excisam miro labore in ducentorum circiter gressuum longitudinem. Operis rationem, atque aetatem docent duae inscriptiones in ipsa rupe incisae, et in utraque extremitate repetitae.

Hae inscriptiones non solum eximiae sunt ob sermonis elegantiam, et egregii operis notitiam, sed potissimum eo quod ex illis discimus, proximis ruderibus stetisse antiquum oppidum *Abilam*, cujus meminerunt geographi atque historici complures, quodve Abila

Lysaniae nuncupatum fuit. Nam alia fuerunt in Palaestina ejusdem nominis oppida.

Situs etiam congruit distantiae, quam Tabula Peutingeriana statuit a Damasco ad Abilam ex una, et ab Abila ad Heliopolim ex altera parte.

Siglas LEG XVI. F. F. sic interpretor : Legionis sextae decimae Flaviae Fidelis, vel potius Flaviae Firmae. Legionem XVI Flaviam constitutam fuisse a Vespasiano in Syria constat ex Dione (lib. 55). Legionis XVI Flaviae Fidelis mentio fit apud Gruterum CCCCVLI. 4, et Leg. XVI Flaviae Firmae pag. CCCCXXVII. 12. Sed ut censeam, potius Flaviam Firmam hic intelligi, me movit auctoritas notitiae dignitatum utriusque imperii, ubi inter copias duci Syriae tributas recensetur Leg. XVI Flavia Firma. Nec omittendum, repertos fuisse titulos eamdem legionem memorantes ad Missema, olim Phaena, et ad Shohba, Auranitidis oppida. (Vid. Burckhardtum, *Travels in Syria*, pag. 74 et 118.—Letronnium, *Recherches pour servir à l'hist. de l'Égypte*, pag. 413.)

(XXVIII, 2.)

Ad Balbek, olim Heliopolim, in Coele Syria sculpta est in rupe, inter moenia et lapidicinas, haec inscriptio, quam referens Burckhardtus, pag. 14, initium tertii versus omisit.

CYPRI INSCRIPTIONES.

(XXVIII, 3.)

Primi exscribentur duo lapides, quos Borussus quidam peregrinator abstulit a Salaminae ruderibus Famagostae proximis, ac Larnacae in aedibus Borussici consulis reliquit eo animo, ut in Europam quandocumque transferrentur. Ambo marmorei, ac bene sculpti. Prior aliquantum fractus.

(XXIX, 1.)

Alter fractus non solum in initio, sed et in fine versus tertii, et quinti.

(XXIX, 2.)

